



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De clerico Atrebatensi eiusq[ue] sorore, quae de incendio per
confessionem liberata est, cùm argentarium interfecissent, cap. 15

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

mihī vtile nimis de his exempla audire, quia multi sunt si scirent fructum corporalem in confessione, paratiores essent in illius executione. CAESARIVS: Nunquid non memor es, qualia vel quanta dominus Walterus Abbas Vilaricēsis nobis dixerit de confessione, veniens de solenni curia Franckenfort, in qua filius Frederici Regis Romanorum electus est in Regem? APOLLONIVS: Bene quidē recordor, sed quia mens hominis labilis est memoriā, placet semel audita, maxime quæ saluti sunt necessaria, sæpius audire. CÆSARIVS: Cū essem, inquit, Franckenfort, & loquerer cum magistro Conrado, Decano Spirensi, inter cetera dixi illi: Quædam noui de cōfessione, quæ vos prædicatores scire deberetis: prædicabat enim crucem, & rogauit me illa replicare, quorum tenor talis est.

CAPVT XV.

A Pud ciuitatem Atrebatensem ante paucos annos iuuenis quidam clericus extitit, de eadem ciuitate natus, delicatius ibidem ab infantia educatus, & inter honestos clericos cōuersatus, qui cū non haberet aliquod stipēdium ecclesiasticum, & mater eius cœpisset egere, puduit eum manere cum illa; inflatusque spiritu diabolico, ad domū cuiusdā diuitis argentarij venit cum dolo, cui & dixit: Mercator quidam diues venit in domum meā, volens cōparare scyphos argenteos, calices etiam, & alia quædam vascula, siue ornamenta de auro siue argento fabrefacta, si quid de tali opere vendere volueris, in sacculo pone, & tali hora solus, quia secretum vult esse, venias ad domum meam. Argētarius de clerico, bene sibi noto, nullam habens suspicionem, vt iusserat fecit, tamen quò iturus esset familiæ suæ notificauit: quem cū clericus solum venientem aspiceret, post ostium se abscondit, intrantisque cerebrum secure diuisit, & occidit: deinde cum sorore virgine hominem, membra- tim diuidentes, in cloacam proiecerunt. Familia verò artificis, cū redire tardaret, ad domum clerici venit, vbinam dominus suus esset inquisiuit, Clerico cum sorore respondentibus, non venit hęc. Quorum

*Confessionem
etiam
corpori
prodesse.*

verba

verba suspecta habentes, & oculis circumspicientes, vestigia fusi sanguinis repererunt, quibus crimen homicidij mox imponentes, accitis iudicibus, cum iam negare non possent, tum profusi cruoris ostensione, tum thesauri reptione, sententia data est, ut ambo mitterentur in ignem. Similis casus Coloniae contigit cuidam monetario temporibus meis. Quid plura? Cum ducerentur ad poenam, dicebat puella germano: Frater, propter te modò ducor ad mortem, neque ob aliam causam cooperata sum tibi in hoc homicidio, nisi ut crimen tuum celarem; attamen quia euadere non possumus mortem imminentem, consilium meum est, ut de commisso faciamus confessionem, ut saltem poenam euadamus æternam. Ad hæc verba clericus indignatus, quia desperatus, respondit: Non faciam, quid enim mihi prodesset confessio tam tarda? Illo indurato, puella periit sacerdotem, cui cum multa contritione confessa est crimen. Deinde ambo ligati sunt in stipite vno, igne copioso circumposito. Mira virtus confessionis, mira clementia Saluatoris; Clericum desperatum flamma deuorauit, puellam vero ignis non tetigit, neque contristauit, nec aliquid molestiæ intulit; vincula tantum eius, sicut legitur de tribus pueris, combussit, ita ut libere deambulare posset, nec aliter sensit flammaram ardorem, quam ventum roris flantem. Viso tanto miraculo, iudices puellam innocentem æstimantes, iusserunt ut exiret, sicque per confessionem, incendij illius euasit ardorem. APOLLONIUS. Quid iudicas de Clerico? CAESARIUS: Hoc quod in superiori distinctione cap. vj. de se iudicauit Hildebrandus latro desperatus; Aeternaliter, inquit, damnatus sum, æternisque incendiis, propter desperationem maxime, deputatus: si egissem poenitentiam confitendo culpam, per poenam temporalem euasissem æternam. Retulit nobis idem Abbas aliud miraculum, in quo adhuc amplius manifestata est virtus confessionis in hunc modum.

Dan. 3.